



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

48. Caroli Audacis Burgundiæ & Luxemburgi Ducis Protectorum Anni  
MCCCCLXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

*Caroli Audacis Burgundiæ & Luxemburgi Ducis Protectorum Anni MCCCCCLXXIII.*

KAROLVS DEI gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia, Limburgiæ, ac Lucemburgiæ, Comes Flandriæ, Arthesij, Burgundiæ, Palatinus, Hanoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Namurei: facriq[ue] Imperij Marchio ac Dominus Frisiæ, Salinarum & Mechliniæ: Vniuersis & singulis nostris locum tenentibus & Gubernatoribus in Ducatu nostro Lucemburgiæ, & cunctis alijs Iudicibus & Officiarijs nostris, ad quos id pertinebit, aut poterit pertinere, vel eorum locum tenentibus salutem. Cum ex lute nostri Ducatus Lucemburgiæ, nos Ecclesiæ & Abbatia Sancti Maximini iuxta urbem Treuiris sita, simul & agrorum, prædiorum, censuum, villarum, reddituum, possessionum, & bonorum quorumcunque eis pertinentium conseruatores ac protectores simus: Significamus vobis nos in hac parte nostro lute vlos, simul singulari quadam deuotione & affectione, quam erga eandem Ecclesiam & Abbatiam, eiusque religiosos, & supposita, simul eorum agros, prædia, census, villas, & redditus, in capite & membris, corumque famulos, officiarios & ministros his litteris cepisse ac posuisse, capere & ponere in nostrâ protectione & clientela speciali, duntaxat ipsorum personarum tuendarum gratia: nec non & Iurium conseruandorum. Quare his præsentibus vobis districte præcipimus, & mandamus, eodem religiosos, ac supposita huius Abbatia tenere, & seruare, ex parte que nostra teneri & seruari facere in cunctis eorum iustis possessionibus, Iuribus, immunitibus, vlsibus, libertatibus, vscaptionibus, in quibus reperietis eos esse, ac eorum prædecessores pacifice & antiquitus fuisse. Simul quoque vobis præcipimus illos custodire ac tueri, ex parte que nostri custodiri tueriue facere ab omnibus iniuriis, violentijs, nocumentis, oppressionibus, molestiis: vi armata, seculari potentia, armatorum hospitio & a cunctis alijs inquietationibus & nouitatibus indebitis. Quæ si in præiudicium huius nostræ Clientelæ Religiosorum subditorumue patrata, esse fuisseue scietis, confessim & sine morâ in integrum & pri-  
mum statum reducatis & reponatis: reduci, reponiue faciatis. Ac ob id satisfa-  
ctionem condignam, & nobis & illis factam esse curetis: Atque hanc præsentem nostram clientelam locis & personis, quorum interest, aut pro quibus vos interpellauerint, promulgari, intimari faciatis. In cuius signo ac documento im-  
minente periculo pallos & vexillulos insignijs, armisque nostris insignitos su-  
per fores huius Abbatia, prædiorum, proprietatum, possessionum, & quorum-  
uis honorum ad eam pertinentium figere, atque inferi faciatis in habitionem &  
prohibitionem ex parte nostri cunctis nostris subditis, & alijs quorum interest,  
facientes aut facere curantes, ne eidem Abbatia, eius Religiosis, subditis, iuri-  
bus, & rebus supradictis quispiam noceant, contra eae attempent, nec quo-  
quis modo noceri, attemptriae patientur. Quin ad cuncta haec promptius ex-  
equenda, supradictis Religiosis vel eorum ministris vnum, plurime satellitum  
nostrorum, siquidem opus erit, & fueritis requisiti, eorum sumptu præstetis &  
deputetis. Quibus nihilominus omnem causæ cognitionem prohibemus. Da-  
tum in Castello nostro Lucemburg die xiiii. mensis Septembris. Anno Domini  
Millesimo quadragegesimo septuagesimo tertio.